

## LETTRE XIV.

=

SOMMAIRE. Triomphe du principe des forces vives en France.

Mathematicorum Principi LEONHARDO EULERO S. P. D.  
JOH. BERNOULLI.

Non memini, an Tibi jam perscripserim, Bousquetum tandem ad me quoque misisse Tuo nomine tractatum ingeniosissimum de solutione problematis isoperimetrici etc. Quicquid sit vel non sit, refero vel repeto gratiarum actionem, donec aliquid habeam quod remunerationis loco Tibi offerri dignum sit. Quod interim Bousquetus jussu meo ad Te miserit commercium epistolicum Leibnitium inter et me, gaudeo certe etiamsi insint in hac farragine multa quae hodie scribi non mererentur, *sunt bona mixta malis, sunt mala mixta bonis.*

Robinsonius ille Tuus sive, ut se vocabat, Robinsius ille meus, qui me olim sugillabat propter vires vivas a me defensas et demonstratas, indignus est ut cum eo nos metiamur. Nam jam ante 20 circiter annos, cum in dissertatione mea

gallica *Sur le mouvement*, defendissem vires vivas easque geometricae demonstrassem in illa dissertatione pro praemio scripta, statim et ipsi iudices meam dissertationem condemnarunt, quibus applauserunt quidam ex Anglis interque eos ipse Robinsius, qui omnium ineptissime simul et acerbissime mecum egit; sed, quod intolerabile fuit, adjudicarunt iudices praemium duabus dissertationibus, hanc unam ob causam quia refutarunt (at quam belle sc.) vires vivas: Scripseram ego ad D<sup>num</sup> Demairan, qui unus fuit ex iudicibus (viribus vivis maxime intensus) eique vaticinatus fui, tempus venturum, quo qui negaverint vires vivas, eos non minus exagitatum iri quam qui motum terrae vellent negare; id certe nunc hodie fit in Gallia; haec enim doctrina de viribus vivis primum subiit martyrium, dum iudices Galli condemnarunt eam a me assertam in dissertatione pro praemio, praefidentes duas alias non aliam ob causam quam quia ineptissime refutabant vires vivas, sicuti iam dixi. Possem itaque summo jure petere restitutionem in integrum, sed nolo movere camarinam.

Quod superest rogo ut illustri vestro Praesidi Maupertuisio plurimam dicas salutem, ad eum utique darem etiam litteras, nisi ad anteriores ad ipsum datas etiamnum responsum expectarem. Vale, Vir Clarissime et amicissime, meque amare perge. Dabam Basileae a. d. 24. Maj. 1746.

---